

2 et 3) et quidam recentiores, ut D'Annib. (II. n. 19. nota 14) : quia, cum nondum fruantur visione Verbi, nequeunt cognoscere quae nos dicamus vel sentiamus. Affirmant multi recentiores (Ball. P. n. 38; Lehmk. I. n. 345), tamquam sententiam probabilissimam et communem. His certe astipulatur hodierna praxis multorum. Attamen Bellarmius (de Purgat. l. 2 e. 15), qui inter praecipuos hujus sententiae patronos citari solet, unice intendit animas purgatorio detentas pro nobis, tamquam in multis periculis versantibus, orare ; superfluum vero dicit ab eis petere ut pro nobis orent, quia non possunt *ordinarie* cognoscere quid agamus. Reapce nullo theologicō fundamento nittitur quod multi existant : illis animabus perinde ac caelitibus innotescere quidquid pro ipsis faciamus vel cum ipsis orando colloquamur.

**VII.** Ad recte orandum sequentes condicioneſ requiruntur :

- 1º Ut petamus *decentia* sensu supra (n. 258) explicato.
- 2º Ut oremus cum fide, credentes nos a Deo obtinere posse quod petimus, immo infallibiliter obtenturos esse vi promissionum divinarum (Matth. VII. 8 etc.), modo orationi insint omnes condicioneſ quas divinae promissiones supponunt.
- 3º Ut oremus cum humilitate, nostram indigentiam agnoscentes, non nostris, sed Christi meritis fidentes.
- 4º Ut oremus cum perseverantia : irrationabiliter enim vellemus statim exaudiri, cum Deus saepe dona sua differat quo amplius ea aestimemus et ad orandum excitemur,

Oratio his condicioneſ stipata infallibiliter exaudiatur si quis postulat pro seipso, sive justus sit, sive etiam in statu peccati, modo habeat bonam voluntatem cooperandi gratiae quam petit : nam nullibi promissiones Christi ad solos justos coartantur. (2. 2. q. 83. a. 16) Immo infallibilis videtur similis oratio pro aliis facta, modo in iis nullum sit obstaculum rei petitae, ex. gr. indurata voluntas : nam pro aliis orare jubemur et nullibi ad solum orantem restringuntur divinae promissiones. Tandem infallibiliter exaudienda videtur similis oratio si petuntur ea temporalia bona quae saluti nostrae utilia sunt, cum nulla appareat ratio ob quam a promissis maxime universalibus excludantur.

De attentione ad orandum requisita dicetur Vol. II. n. 59.

**CAPUT II.**

DE VITIIS RELIGIONI OPPOSITIS PER EXCESSUM.

§ 1. DE SUPERSTITIONE IN GENERE.

**262. NOTIONES.** Religioni, sicut cuivis virtuti morali, duplex opponitur vitium, unum secundum excessum, alterum secundum defectum : omnis enim virtus moralis in medio consistit.

Vitium religioni oppositum per excessum vocatur *Superstitionis*. Haec definiri potest : cultus vitiosus veri vel falsi numinis. Nam excessus non est in eo quod " plus exhibeat in cultum divinum quam vera religio, sed quia exhibet cultum divinum vel cui non debet, vel eo modo quo non debet. " (2. 2. q. 92. a. 1)

Superstitione igitur est duplex : prior, qua cultus exhibetur quidem vero Deo, sed modo indebito ; posterior, qua cultus exhibetur ei cui exhibendus non est, nempe cuicunque creaturae.

Modus indebitus in cultu veri Dei potest esse *falsus* vel *superfluus* : hinc distinguitur superstitione cultus falsi et cultus superflui.

**ASSERTA I.** Superstitione cultus falsi ex se peccatum mortale constituit, quia graviter praedjudicat veritati et puritati Religionis christiana, dum eam minus aestimabilem, vel suspectam de errore facit. Ideo graviter peccat qui Deum nunc colit caerimonias cultus Judaici, quibus Christus adhuc venturus significatur ; qui proponit colendas falsas reliquias vel falsa miracula praedicat, ex. gr. ut devotionem erga aliquam imaginem augeat ; qui, ut populum commoveat, fingit aliquid miraculum vel historiam in S. Scriptura reperiri. Hoc ultimum tamen et similia facilis, ob animi levitatem, fieri possunt venialia. (Bus. ap. S. Alp. l. 4. n. 3 ; Struggl. tr. 5. q. 5. n. 6)

**II.** Superstitione cultus superflui ex genere suo peccatum veniale est : quia, praeciso scandalo vel alia circumstantia graviter mala, non praedjudicat graviter puritati et uniformitati verae religionis. Exempla habes in sacerdote qui e praepostera devotione multiplicaret orationes in Missa contra rubricas, vel longas preces privatas verbis Missalis intersereret. Videndum tamen num forte aliunde gravis peccati ratio cultui superfluo adveniat, puta e prohibitione Ecclesiae vel scandalo, ut si

ecclesiasticis officiis insereretur profanus cantus vel rythmus, qui pravas cogitationes adstantibus ingereret et videretur cultui divino graviter injuriosus; immo, si cantus esset prorsus turpis, jam ex se grave peccatum et cultum falsum seu perniciosum constitueret. (Sanch. in Dec. l. 2. c. 37. n. 7) Potest quoque cultus superfluus fieri mortale peccatum ratione vanae observantiae quae eidem admiscetur, ut si quis orationes in se bonas recitat cum certo numero benedictionum et circumstantiis ineptis, *infallibiliter* exspectans effectum aliquem temporalem, puta immunitatem ab omni morbo vel vulneris sanationem. Attamen qui id agunt ad finem in se bonum, saepe, ob simplicitatem, a peccato, saltem gravi, excusantur. (Struggl. l. c. n. 8)

Supersticio qua cultus indebitus redditur creaturae solet subdividi in species sequentes: idolatriam, divinationem, vanam observantiam, magiam et maleficium. (Bus. l. c. n. 2) Breviter de singulis.

### § 2. DE IDOLOLATRIA.

**263.** Idolatria est supersticio qua tribuitur honor creaturae sicut Deo. Parum refert utrum id quod colitur per aliquam imaginem representetur necne (2. 2. q. 94. a. 1. ad 4), vel quo signo externo honor ille exhibetur, dummodo ex intentione colentis vel communi acceptance significetur honor divinus. Cfr. n. 256.

Distingui solet idolatria in *materialem* et *formalem*; quae posterior subdividitur in *perfectam* et *imperfectam*.

Materialis committitur ab eo qui, sine interno affectu, ex metu ex. gr. mortis, creaturae cultum divinum praestat. Haec semper peccatum grave est: nequit enim in Christianis non graviter adversari obligationi fidei profitendae.

Formalis et perfecta idolatria committitur ab eo qui adorat idolum quod reapse putat esse deum; formalis at imperfecta, ab eo qui, vel ex odio Dei vel ex affectu aliquid a daemone aliave creatura obtinendi, ipsi, quasi Deo, cultum defert. Patet ultraque gravem injuriam Deo inferri. Imperfecta autem gravius peccatum constituit quam perfecta. Haec enim ob ignorantiam aliquo modo excusatur, illa vero ex mera voluntatis malitia committitur, et etiam aliquam simulationem et mendacium perniciosum Deoque injuriosum continet. (Laym. l. 4. tr. 10. c. 2. n. 5)

### § 3. DE DIVINATIONE.

**264. NOTIONES.** Divinatio est supersticio qua quis res occultas ope daemonis, *expresse* vel *tacite* invocati, indagat.

Expresse invocatur daemon ab eo qui vel verbis daemonem implorat, vel saltem facto aliquid usurpat per quod scit aut putat daemonem cooperari. Tacite invocatur ab eo qui media, quae novit vana et naturaliter improportionata, adhibet ad aliquid cognoscendum, etiamsi forte protestatur se nullum cum daemone commercium intendere. Protestatio enim hujusmodi eliditur factis: nam, cum noverit media naturaliter esse inepta, Deum autem et Angelos bonos hujusmodi opem non ferre, nequit effectum, quem intendit, exspectare nisi a daemonis interventu. (S. Alph. l. 4. n. 8)

Multae species divinationis, per invocationem sive expressam, sive tacitam daemonis, enumerantur a S. Th. 2. 2. q. 95. a. 3, ut divinatio somniorum, necromantia, augurium, auspicium, etc. quae tamen, juxta communiorum sententiam, non differunt in genere moris, sed mere materialiter, ideoque in confessione non sunt explicandae. Etiam probabile censet S. Alph. (n. 6) non differre moraliter, in ordine ad confessionem, divinationem quae fiat per expressam daemonis invocationem ab ea quae fiat per tacitam tantum. Regulariter tamen discrimen hoc erit confitendum, ut pateat confessario utrum grave an leve peccatum admissum sit, vel quia expressa invocatio saepe alia peccata adnexa habet, scil. haeresim, adorationem daemonis, etc.

**265. ASSERTA. I.** Divinatio quae fit per expressam invocationem daemonis semper est grave peccatum.

Hoc clarissime patet quando a daemone petuntur ea quae solus Deus novit, nempe futura libera et arcana cordium: quo casu homo cum daemone sicut cum Deo agit eique divinos honores tribuit. Sed etiamsi daemon naturaliter nosse potest ea quae ab ipso petuntur, puta ea quae hic et nunc aguntur in loco remotissimo, id graviter injuriosum est Deo, qui vult ut homo abrumpat cum hoc hoste Dei et humanae naturae omne commercium, praesertim quo se illi tamquam magistro addicat; adversatur etiam caritati hominis erga seipsum, quia daemon, etiamsi verum dicat, intendit homines assuefacere ad hoc quod ei credatur, et sic intendit perducere in aliquid quod sit saluti nocivum.

Peccatum illud adversatur religioni, eo quod homo sic consulens daemonem eidem cooperatur, quatenus conatur divinam excellentiam sibi usurpare: hoc enim daemon adjuvando intendit ut homo, relecto Deo, a quo omnem cognitionem sibi necessariam vel utilem sperare debet, ad ipsum recurrat et ipsi se subjiciat, tamquam indigens ejus auxilio et in eo confidens. (2. 2. q. 95. a. 4.; Ball. P. n. 56)

**266. II.** Divinatio per implicitam daemonis invocationem natura quidem sua peccatum est mortale, cum aequivalenter daemonis auxilium

imploretur. (n. 264) Aliquando tamen a mortali excusatur, nempe : a) ob ignorantiam gravis malitiae : haec enim multo minus appareat quam in invocatione expressa ; — b) ob imperfectionem superstitionis, quando scil. vanis signis non adhibetur *certa* fides, sed solum concipitur aliqua spes vel timor ; — c) ob defectum seriae intentionis, ut si notitia rerum occultarum non intenditur serio, sed potius per modum joci : sic enim vera supersticio aberit. (Struggl, tr. 5. n. 19) Hinc :

1º Graviter peccat qui vitam suam fere omnem dirigit per somnia, chartas, astra et similia quibus quaeri solet cognitio quam rerum istarum observatio naturaliter praebere nequit : id enim graviter divinae Providentiae ordini adversatur. Leviter tantum peccaret qui, propter similes rationes, semel vel iterum aliquid omittet ad quod sub mortali non teneatur, puta interesse convivio, ne, tredecim mensae accumbentibus, unus brevi moriatur, iter facere die Veneris, etc.

2º Plerumque si qui observant somnia, auguria, etc. non peccant nisi venialiter, quia solet adesse excusans ratio ex iis quae supra enumerauntur, speciatim defectus firmae fidei. (Sanch. in Dec. l. 2. c. 38. n. 21 seqq.; S. Alph. n. 9)

3º Somniis credere non est omnino illicitum, siquidem e S. Litteris et Sanctorum historia constat veritatem quandoque a Deo somniantibus manifestari. Sed diligenter, antequam credatur, examinandum num res manifestata sit bona, num finis manifestationis videatur Deo dignus, etc. (Ball. P. n. 64)

4º Generatim leviter tantum peccant consulentes eos qui futura vel occulta e chartis similibusve artibus praedicunt : nam plerique agunt sine firma fide, sed tantum ex joco vel levitate, praesertim si hos divinatores non adeunt privatim, sed cum sociis, ut fit in diebus festivis. Videndum tamen num graviter peccent, vel ob firmam fidem quam responsis adhibeant, vel ob scandalum aut cooperationem cum divinatore qui serio cognitionem occultam inquirat. Hoc ultimum raro contingit : plerique enim unice lucranda pecuniae gratia artem, cuius vanitatem perspicuunt, exercunt. (Sabetti, n. 209)

5º Superstitiosa est divinatio quae fit per sortes divinatorias, ad futurum vel occultum aliquod cognoscendum, quasi sortibus quaedam vis divina insit : ut si quis ex taxillorum projectione et dispositione divinet quis sit obtenturus victoriam. Idem regulariter dicendum de sortibus consultoriis, quibus inquiritur quid in hac vel illa re agendum sit : nam Deus voluntatem suam inquiri vult, non sortibus, sed doctrina Ecclesiae et judicio prudentum. Hae tamen licitae forent, non tantum ob specialem Dei instinctum, ut per se patet, sed etiam ubi causae necessitas et honestas id exigeret aptiorque modus dubium vincendi non suppeteret, dummodo tunc cum magna reverentia indicium a solo

Deo exspectetur, ut si quis, haerens in bivio, aliter viam discernere nequiret. Cfr. 2. 2. q. 95. a. 8.

Manifestum est nullam superstitionem reperiri in sortibus divisorii, easque, seclusa legis positivae prohibitione, licite adhiberi, sive ad honestum ludum (cfr. n. 663), sive ad hereditatem dividendam, sive ad item componendam, dummodo diligentes qui aequale jus habent consentiant ; quia nihil aliud continent quam contractum inter eos qui ad aliquam rem jus habent, ut illias sit cui sors obtigerit. (S. Alph. I. c. n. 10)

#### § 4. DE VANA OBSERVANTIA ET MAGIA.

**267.** *Vana observantia* est supersticio qua quis, expresso vel implicito pacto cum daemone, aliquid efficere nititur, ex. gr. scientiam repente et sine labore acquirere, per certas quasdam formulas reddere sanitatem, etc. Vocatur *vana* eo quod effectus illi vel non obtainentur, vel, si obtainentur, magis nocent, saltem animae, quam prosunt. Quodsi effectus illi essent omnino miri, puta repentina corporum immutatio, diceretur *magia*. Haec igitur specie morali non differt a vana observantia, immo neque a divinatione : siquidem parum interest, in genere moris, utrum ope daemonis quaeratur scientia occultorum an quidvis aliud.

E definitionibus datis, liquet discrimen inter divinationem et vanam observantiam in eo situm esse quod prior unice ordinetur ad cognoscenda occulta, posterior ad quoslibet alias effectus, praesertim externos. (Sanch. in Dec. l. 2. c. 40. n. 1) Alii tamen aliter hoc discrimen indicant, ut videre est apud Ball. P. n. 79 seqq. Quae controversia ad proxim parum conduit.

Reatus vanae observantiae prorsus eadem ratione definitur ac supra (n. 265 seqq.) de divinatione dictum est : par enim utriusque malitia est in recursu sive implicito, sive expresso, ad daemonem. Implicitus recursus habetur quando agens certo novit media quae adhibet esse imparia fini quem intendit. In praxi pleraeque vanae observantiae potius inter ineptias recensendae sunt quam inter superstitiones proprias dictas. (Berardi, Prax. Conf. n. 249) Ideo confessarii est poenitentes, praesertim rudes sed pios, suaviter docere quam inania et ridicula sint eorum conamina ; de gravi autem reatu ne facilius sermo injiciatur. Quandoque etiam doceantur poenitentes proxim suam expedire a quibusdam circumstantiis vanis vel a persuasione effectus infallibilis, cum saepe sic fiat prorsus innocua vel laudabilis.

**268. QUAER.** Quousque licitum sit conatus adhibere ad aliquid efficiendum, quando dubium est num medium adhibitum naturaliter pars sit effectui producendo.

**RESP.** In hoc casu videtur tenenda haec regula quam effert La Croix (l. 3. p. 1. n. 28) laudatus a S. Alph. (n. 20) : "Potius judicandum est esse a natura adeoque non esse superstitionem, quia plurimae sunt virtutes in rebus naturalibus nobis incognitae; itaque in dubio dicendum est id potius esse a natura, cum miris a natura effectus fieri videamus, quorum rationem reddere non possumus: ergo, etiam in tali dubio, sumus in possessione juris ad utendum ejusmodi rebus, donec resciatur non esse a virtute naturali occulta." Haec tamen regula supponit dubium nisi ratione probabili, puta analogia quam hic effectus habet cum aliis certe naturalibus, absentia cuiuslibet circumstantiae dishonestae vel quae manifeste postulet agentis supernaturalis interventum, etc. Nam, si res dubia censeretur tantum ob rationem generalem quod multa nos in natura latent, id logice duceret ad omnem miraculorum vim enervandam. Cfr. quae in Philosophia vel Theologia de miracula explicantur.

#### § 5. DE MALEFICIO.

**269.** Maleficium est supersticio qua proximo nocentum infertur. Nocetur autem vel inspirando turpem amorem (philtrum), vel causando morbos, sterilitatem, varias calamitates (veneficium).

Liquet in maleficio, praeter malitiam vanae observantiae, quae a gravi peccato excusari practice nequit, reperiri etiam malitiam injusitiae.

Experientia constat hodie rarissima esse vera maleficia. (Berardi, l. c. n. 260) Quare confessarius facilis esse non debet in iis credendis quae a poenitentibus minus doctis quandoque narrantur; suadeat media naturalia adhibere et, piis precibus vel sacramentorum susceptione, a Deo obtinere finem calamitatum quae non raro perperam maleficiis abscribuntur. Graviter etiam increpandi erunt ii qui, praejudiciis occupati, alium, praesertim senem vel anum, maleficii incusant: nam isti plurimum desunt caritati et justitiae, cum, tales rumores spargendo, vitam putato maleficio molestissimam efficiant.

In sequentibus paragraphis agemus de recentioribus quibusdam artibus quibus, saltem interdum, supersticio exercetur.

#### § 6. DE TABULIS ROTANTIBUS ET SPIRITISMO.

**270. I.** Numquam licet tabulas ea qua notum est ratione in gyrum agere ad obtinendum effectum certo supernaturali, ex. gr. ad acquirendam notitiam rei quam nullus adstantium novit, ut ipsa mensa distincte

responsum scribat, etc. Id enim manifeste contineret labem divinationis vel vanae observantiae, cum hujusmodi effectus neque a mensa, neque ab ullo conscientia vel inconscio adstantium influxu exspectari possit. Neque id liceret etiam experimenti causa, nempe ad cognoscendum numerum effectus supernaturales reapse producantur: nam finis ille honestus non tollit medii malitiam. Sed si cui persuasum foret nullum effectum hujusmodi oriturum fore, non peccaret mensas movendo ut reliquorum errorem experimento corrigeret.

**II.** Si effectus intentus, ex. gr. mensam in gyrum, non mero voluntatis imperio, sed impositis digitis vertere, probabiliter est naturalis, per se licet eum producere, nisi obstet ratio scandali vel prohibitionis ab Ordinario factae (n. 268). Ideo summum venialiter peccant qui ex curiositate vel jocandi causa id experiuntur vel hujusmodi experimento intersunt. (D'Annib. II. n. 54, nota)

**271. III.** Spiritismus intellegitur spirituum consultatio, praesertim de rebus extramundanis. Semper est graviter illicitus: siquidem aperte continet malitiam divinationis vel vanae observantiae. Spiritus enim illi non sunt nisi daemones: nam animae caelitum profecto his vanis evocationibus non subsunt; damnatorum vero animae non permittuntur (saltem generatim) habere cum viventibus has relationes quas S. Litterae et christiana traditio daemonibus agnoscunt. Hinc numquam licitum est serio petere ab iis qui se *media* vocant, ut spiritus evocent vel quamcumque de re consulant. Neque talis evocatio animarum defunctorum licita fit si quis profitetur se excludere quodlibet commercium cum spiritu malo et preces dirigit ad angelos bonos, prouf S. Inqu. 30 Martii 1898 respondit: supersticio enim manet in facto evocationis, neque inani protestatione removetur.

**IV.** Si cui, ob seria indicia, constaret eum qui se *medium* jactet esse circulatorem, liceret eum, secluso scandalo, rogare ut artem suam exerceret, quo melius de ipsius fallacia constaret. Id tamen non licet *universe*, quasi *semper* nihil praeter fraudem adhiberetur. Ut enim sapienter statuunt Patres Conc. Baltim. II. (Coll. Lac. t. 3. col. 406): "Bene videtur esse exploratum plura quae in Circulis Spiritismi exhiberi phaenomena miranda dicuntur, esse vel omnino ementita et operatorum inter se collusione fraudulenta producta, vel personarum quae dicuntur *media* imaginationi et spectatorum credulitati esse praesertim adscribenda, vel demum manuali cuidam dexteritati, qualis apud praestigiaatores usu venit, esse tribuenda. Vix dubitandum tamen videatur, quaedam saltem ex eis a satanico interventu esse repetenda, cum vix alio modo satis explicari possint."